Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8337
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

24

ad muliebria pertinentes longe arbitror pellendos a castris. Fabros ferrarios carpentarios macellarios et cervorum aprorum venatores convenit sotiare militie. Hec est in quo totius rei publice salus consistit, ut tyrones non tantum corporibus sed etiam animis prestantissimi eligantur. Vires regni et romani nominis fundamentum in prima dilectorum examinatione consistunt. Non leve hoc putetur officium et passim quibuscumque mandandum, quia apud veteres inter cetera variarum genera virtutum in pretorio constat precipue esse laudatum. Juventus cui defensio provinciarum, cui bellorum est committenda fortuna, in generosi copia et moribus debet excellere. Honestas enim ydoneum militem reddit, verecundia dum prohibet fugere facit esse victorem. Quid prodest si exerceatur ignavus, si pluribus stipendiis mereat in castris, nunquam exercitus proficit tempore cuius in probandis tyronibus claudicaverit electio. Magnus viris magnaque diligentia ydoneos convenit eligi tyrones.

Idem viii. ti. plerique quamvis probabiles videantur, sepe tamen experimentis comprobantur indigni. Repudiandi sunt minus utiles, et in locum eorum strenuissimi subrogandi.

De peritia atque imperitia bellice operationis. ca. vii.

Quintilianus decla. ii. declamatione. Principes nos fecit severitas institutorum. Ordo militie annorum quidam laboris et cottidiana exercitatione belli meditatio. Itaque plura pene moribus quam viribus vicimus.

Statius thebaydos libro viii.
Sepe ignari periturique caduntque.

Frontinus libro iiii. ti. ii. Domicius Corbulo duabus legionibus et paucissimis auxiliis disciplina correctis parthos substinuit. Alexander macedo quadraginta milibus hominum iam inde a philippo patre discipline assuefactis orbem terrarum aggressus innumeras hostium copias superavit.

Vegetius de re militari in proemio. In omni prelio non tam multitudo et virtus indocta quam ars et exercitium solent prestare victoriam. Idem xi. ti. Scientia rei bellice dimicandi nutrit audaciam. Nemo facere metuit quod se bene didicisse confidit. In certamine bellorum exercitata paucitas potior est ad victoriam. Rudis et indocta rusticitas posita est ad cedem. Idem xvi. ti. Melius est ut exercitatus iunioris causetur etatem nondum venisse pugnandi quam doleat preterisse.

Idem xiii. ti. Nichil firmius neque felicius neque laudabilius est re publica in qua abundat milites eruditi. In aliis rebus sicut ait cato, siquid erratum est post corrigi potest mox. Prelia non delicta non recipiunt emendationem, cum pena statim sequatur errorem. Nam aut confestim pereunt, aut in fugam versi victoribus ultra pares esse non audent. no.
Idem xxviii. ti. et fi. Utilius constat erudire armis suos quam alienos mercede conducere.
Idem libro ii. ti. xxii. Si doctrina cessat armorum, nil paganus distat a milite.
Idem libro iii. in prohemio. Qui victoriam cupit, milites imbuat diligenter. Qui secundos optat eventus, dimicet arte non casu. Idem iiii. ti. no.
Inter dum imperita rusticitas plura promittit et credit se scire quam nescit.
Idem xxvi. ti. et fi. paucos viros fortes natura procreat, bona institutione plures reddit industria.

Cassiodorus epistolarum libro primo. Epistola xxviii. Discat miles in otio, quod perficere possit in bello. no.

De experientia et usu belli et exercitii. capitulum viii.

Seneca de prudentia. Ad suspitionem vulneris tyro pallescit. Audacter veteranus cruorem suum expectat, quia scit se sepe vicisse post sanguinem. no.

Vegetius de re militari libro primo ti. primo. Iuvenes romanos omnes gentes sola armorum exercitatione vicisse. Nulla enim alia re videmus populum romanum orbem subiugasse terrarum nisi armorum exercitatione, disciplina castrorum usuque militie.
Idem libro ii. ca. xxi. Semper in otio debet fieri quod necessario faciendum videtur in prelio.
Idem xxii. ti. Inexercitatus miles semper est tyro. Velocitas usu ipso atque corporis et scientia feriendi hostem seque protegendi presertim si cominus dimicet. Quemadmodum bene exercitatus miles prelium cupit, ita formidat indoctus. Sciendum est in pugna usum amplius prodesse quam vires. no.

Cassiodorus epistolarum libro primo epistola xxviii. Artes bellandi si non preludunt, cum fuerint necessaria non habentur. Dios subito ad arma non exigunt nisi qui se ad ipsa ydoneos premissa exercitatione confidunt.
Idem libro iii. epistola ii. Terribilis est hominibus inflictus, si non sit assiduus. Et nisi usu perfirmatur, certandi subito fiduciam non habet.

Autor libri qui dicitur facetus. ca. x. et fi.
Sepius in solito pugna nocere solet.

De velocitate atque pigritia